



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelia Geographiae Veteris Et Novae

Parallelia Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 5. De Principibus Mediceis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

statuas exquisitissima. Vno verbo toto in hoc tra&tu vina genero-
fissima, oleum exquisitissimum, vt taceam de metallicis ferri, &
æris ditissimis, ad quæ purganda non defunt ligna in dorso, & ra-
dicibus Apennini.

NVM. 4. *De Moribus incolarum huius ditionis.*

FLORENTINI callidissimi sunt, & mercimoniis dediti, in quæ
feruntur audè, etiam nobiles. Diuites sunt in primis ex pannis &
serico. Operæ nihil parcunt ut damnum euitent. In præliis optimi
& sagaces habentur exploratores: de victoriâ tantum cogitant, de
prædâ nihil, quæ virtus eis plerumque saluti fuit. Parci naturâ
sunt, & tenaces. Ægrè admodum condonant iniurias, & zeloty-
piâ laborare dicuntur. Delicatè loquuntur in primis, & dialectus
Florentina cæteris Italicis anteponitur.

PISANI ad arma olim nati credebantur, omnes fortes, & vitæ
prodigi, quæ magnanimitas etiamnum in iis eluet dum incum-
bunt in rem militarem. Quàm magnam & potentem olim habuere
Rempublicam: quæ discordiis potius, quàm imbecillitate defecit.
Iam eorum plerique literis vacant, & eruditio perfruuntur otio, ex
quo libertatem amisere.

SENENSES minus attenti sunt ad rem suam, quàm reliqui Tuscî,
in viâtu splendidi, philoxeni, liberales. Nulla gens pro libertate
acriùs pugnauit, cuius virtutis venerunt quoque in partem fœmi-
næ. Aliquot annos iugum tulere impatientiùs, sed illud molluit
liberalitate suâ Magnus Dux, dum eis sæpe in annonæ caritate
subuenit.

LVCENSES creduntur esse optimæ indolis, ingeniosi, solertes
philoxeni, prudentes & libertatis suæ peramantes. Quamquam
enim vicinum habeant Principem & caustum & potentem, & qui
eis insidiatur (quia Luca olim Pisanis ut aiunt subdita erat) ita
tamen se gessere, vt eos ille non posset inuadere sine manifestâ in-
iuriâ. Vulgus hic nobiles impensiùs colit. Linguâ vtuntur iam mi-
nus delicatâ. Parci sunt in rebus priuatis, magnifici in publicis.

NVM. 5. *De Principibus Mediceis.*

ANNO Christi 1530. Florentiâ deditâ Carolo V. post diutur-
nam obsidionem, sicut Imperator cum Pontifice conuenerat Alc-

R Rrrr ij

xium Mediceum nothum Laurentij Ducem creauit. Sed dum ille se gerit impotentiū imperfectus est à Laurētio ei in Principatu proximo. Verū dum ille fugit admisso crimine, Mediceæ factionis Principes Cosmum elegerunt tantum annos 16. natum, qui matre licet dissuadente Principatum adiit, & deum ditionem suam sapientissimè ordinavit. Duxit vxorem filiam Petri Toletani Neapolitani Proregis, & Carolo V. semper charissimus fuit. Senensis Resp. diu luctata Gallis tandem viatis & emissis, in potestatem Cæsaris venit primū, postea à Philippo secundo concessa est Cosmo anno 1557. referuatis tantum aliquot oppidis oræ maritimæ, scilicet Populonij ditione *l'Estat de Piombino*, & Præsidij statu, vbi *Porto Hercule*. Quomodo Cosmum Regem Pontifex creare voluerit, & ut constituerit Magnum Duxem suprà innuimus. Filium suum iugulauit eodem pugione, quo fratrem hic interemerat. Eius sibi prosapiam uno aspectu videndam sistimus.

MAGNVS	FRAN-	PHILIPPVS qui infans obiit.		
	CISCVS	ELEONORA vxor Duci Mantuani.		
COSMVS	DVX	MARIA vxor Henrici Magni Francor.		
	I. Regis.			
seu	GARSIAS à patre iugulatus.			
	IOANNES à fratre Garsiâ confossus.			
Primus,	F E R-	COS-	FERDI-	COSMVS Tertius
	D I-	MVS	NANDVS	Princeps Tusciz,
Dvx	NAN-	Secun-	DVX V.	& hæres.
	DVS	dus		CAROLVS MEDICÆVS Cardi-
PRIMVS		DVX		nalis.
TVSCIAE		IV.		MATHIAS Præfetus Senensis.
		III.		LEOPOLDVS.
			CAROLVS Cardinalis Tusciz.	
			LAVRENTIVS Medicæus.	

NVM. 6. De Politia Magni Duxatus Hetrurie.

Dux h̄ic potest omnia, & Consilium eius priuatum ex paucis admodum constat. In dubiis & arduis adhibet Consultores 12. Nobiles, partim Doctores, partim in Legationibus versatos